

DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,*

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda in Scholis Medicorum, die Veneris tertiâ mensis Aprilis, anno Domini M. DCC. LXXII.

M. STEPHANO POURFOUR DU-PETIT,

Doctore Medico, Præside.

An senescentibus Oculi inflammationibus, conjunctivæ scarificatio?

I.



OCULUS undequâque tectus, circumseptus, munitus summi omnium bonorum largitoris beneficentiâ, quâ solâ non potuit contegi ut nostris prospiceret commodis, hâc unâ (anticâ scilicet) parte patet, plurimis obnoxius infortuniis. Septem membranis ac tribus humoribus constans, ferè sphœricam induit formam cujus diameter una à fundo ad

* *Ab Autore M. Pourfour Du-Petit, anno* 1746. *propugnata.*

corneæ pellucidæ centrum, elongatur propter peculiarem iſtius corneæ pellucidæ convexitatem, altera è contrà tranſverſalis diameter, minuitur quia depreſſum manet utrumque ſub muſculis rectis oculis latus. In foveâ oſſeâ, conicâ, parte anteriori & ſuperiori cranii collocatâ, continetur ac movetur Oculus. Nec majorem partem ejuſdem cavitatis occupat. Glandulis enim pinguedine & ſex muſculis nudatus oculus, nec duodecim lineis longitudo ejus par erit, nec quartam unciæ partem pondus ejus ſuperet. Si quid plus aut minùs, in longitudine & pondere, eadem glandularum, pinguedinis, muſculorum habeatur ratio. Membranarum, quatuor communes, tres aliæ propriæ dicuntur. Communium extima, adnata ſeu conjunctiva nuncupatur, cujus eſt officium oculum tum oſſibus tum palpebris conjungere ut in thalamo ſuo ſtabilietur. (a) Hæc albicans, palpebras internè, & ſcleroticam externè, verſus globum reflexa obtegit, relicto orbiculari intervallo cujus limbo, cornea tranſlucida, ſicut lapis pretioſus auro, circumducitur. Pretioſa certè cornea cujus pelluciditas ſummoperè tuenda! Criſtallinus obſcurior fiat, deprimitur vel extrahitur: incisâ corneâ effluat foràs aqueus humor, ſanatâ inciſione, renovatur: cornea verò, quartâ lineæ parte vix craſſa, ſi exulceretur, vel cicatrix in ejus totâ ſuperficie remaneat, obtunditur & inutilis prorſus fit oculus, aliundè ſanus. Nunc totus à cicatrice albicans, difformis, triſtis, quantum mutatus ab illo qui nigricante pupillâ, lætus, refulgens, auditûs & vocis vices gerit. Quandiù viget oculus, quot indicia ſumi poſſint ab oculorum inſpectione dicat quicumque in metopoſcopiâ non rudis? Quot amantium miniſter oculus, eorumdem proditor? quam utilis imò neceſſaria Medico ad diagnoſin ſimul & prognoſin ſagax oculi inſpectio. In ictero, oculi flavi, incipiente febre, paululùm ſanguine colorati

(a) Fortun. Plempii Ophthalmogr. Lib. III. cap. 5.

Sin in proceſſu cœpit crudeſcere morbus
Tum verò ardentes oculi *

* Virg. Georg.

urentis caloris malum demonſtrant, futurum prænunciant. Ut valeat, abſit à conjunctivâ color omnis à nativo tantillùm degener. Nullibi ſana, niſi alba. Levi tamen de causâ rubet. Frequens iſte morbus eſt *inflammatio* quam duplici therapeïâ curare tentat Medicus, alterâ generali ut ſanguinis è brachio, ſaphenâ, aut jugulari miſſione, balneo, enemate, diluentibus: alterâ particulari, nempe topicis. Cum verò (ut accidit non-

nunquàm) ità ingravescit *inflammatio* seù *ophthalmia*, ut stagnans humor ullâ arte resolvi nequeat, tunc celebranda venit *scarificatio.*

II.

SCARIFICATIO est minutissimorum vasorum ex multiplici sectione depletio. Sive igitùr uno ictu, cum instrumento pluribus scalpellis armato, sive unico scalpello phlebotomo-ve crebris plagulis celebretur, nihilominùs scarificationis nomen audit hoc phlebotomiæ genus. Hæc Chirurgica, balneatoria apud germanos illa nuncupatur. Instrumenti hos in usus confecti varias pluribus in locis figuras reperire est: at quamvìs aspectu primo dissimiles videantur, unum tamen & idem instrumentum exhibent. Quamvis enim lanceolarum directio alia sit perpendicularis ad cutim, alia horizontalis, & cucurbitularum alia caloris seu ignis vi, alia anthliæ seu follis aspirantis pneumatici ope sanguinem inspiret, nihil refert: eadem vasorum sectio, eadem sanguinis depletio, eadem proinde operatio, quæ in utroque casu non plus Medicinæ luminis addit quam ægrotantibus salutem (*a*) Quantùm valeat opportunè facta scarificatio, non solùm immediatè in inflammatione, sphacelo & gangrenâ affectis partibus, sed etiàm mediatè ad procurandam sanguinis derivationem aut revulsionem, in cephalalgiâ, ac præsertìm in oculorum inflammatione, nullus in rebus Medicis adeò peregrinus qui non fateatur. Jamjàm à multis annis cognitæ & cum felici successu factæ hujusce operationis usus præscriptionem inducit, nedùm proscriptionem. (*b*) Omnibus Ægypto versantibus variarum cutis scarificationum pro mittendo vacuandoquè sanguine, vice sectarum venarum, usus est notissimus, præsentaneumquè hocce remedium apud eos habetur in capitis cùm doloribus, tùm inflammationibus, atquè præsertim omnibus *inflammationibus oculorum;* quæ quidem scarificatio in inflammationibus & fluxionibus humorum ex plenitudine obortis *universalis* vel *totiûs* appellatur; si verò in parte in quam humor decubuit, *particularis* dicitur. Hanc particularem frequentèr in usum adhibent in fluxione paululùm firmatâ, in Erysipelate vel aliquâ aliâ parte inflammatâ, ubì pertimescunt nè in gangrenam degeneret vel in schirrhum abeat. Quæ ex inflammatione cujuscumque partis diù perseverante pertimescenda sunt mala, ea certè oculis præsertìm debent eò diligentissimè præcaveri si sint quædam oculorum inflammationes in quibus tanta sit vasorum

(*a*) V. Ambr. Paré. Lib. XII. cap. V. Laur. Heist Chirurg. Tom I. Tab. XII. fig. 4.

(*b*) Prosp. Alp. L. III.

atonia humorisvè ſtagnantis ſpiſſitudo, ut neque ab internorum topicorumvè remediorum vi ſanguis lymphaticis incarceratus vaſis reſolvi queat ac reſorberi.

III.

QUAMVIS tenuiſſima & albicans conjunctiva, innumeris tamen, ſecundùm totam ſuam extenſionem, donatur vaſculis ſeroſæ tantùm ſanguinis parti continendæ in ſtatu naturali deſtinatis, & ſolo viſu, niſi obſtructione, inflammatione, aut poſt mortem injectione diſtentis atque oppletis, non aſpectabilibus. Seroſus iſte latex ſuis in capillaribus vaſis, eâdem lege ac purpureus latex ſuis in majoribus, coercetur ac movetur. Indè ut duplex eſt vaſorum ordo, duplex quoquè laticis eſt progreſſio. Arterioſa una quæ per arterias lymphaticas, venoſa altera quæ per venas. Suppeditantur arteriæ iſtæ lymphaticæ 1°. à tribus arteriæ carotidis externæ ramulis, quorum unus arteria muſculi maſſeteris dictus, ſuper os jugale aſcendens ad palpebras & conjunctivam vergit, alter eſt arteria angularis canthi majoris, in quam deſinit arteria maxillaris externa. Tertius verò eſt arteriæ maxillaris internæ propago, quæ per ſciſſuræ ſphœno-maxillaris portionem ſuborbitariam dictam progrediens, ad eandem partem advenit. Reſiduum autèm ſanguinem excipit vena jugularis externa. Ideò procedit inflammatio, quia ſanguis ex vaſis ſanguineis in vaſa lymphatica protruditur, ſive ab ipſo ſanguinis impetu, ſive propter nimiam vaſorum lymphaticorum dilatationem ex ſpiſſioris lymphæ præſentiâ; cujus eſt generis Oculi (ſeu quod idem eſt conjunctivæ) rubor, qui nihil aliud eſt quàm naſcens inflammatio, quià tùnc ſanguis in vaſa conjunctivæ lymphatica ad incoloratum limpidumquè liquorem recipiendum tantùm apta intruditur. Turbatur itaquè vaſorum mirabilis ordo, vaſa ex lymphaticis evadunt ſanguinea, adnatæ tunicæ diſtinctus anteà nùnc cum iride confunditur color, quibus modò benigni & amabiles oculi

. . . . Nunc flammea torquent
Lumina.*

* Virg. Æn.

ardet, tumet oculus, acris & quaſi ſale marino impregnatus depluit glandulæ lacrymalis humor, pruritu torquentur palpebræ, nec illæſa remanebit viſionis porta, corneam dico, quæ minus impunè violari nequit quam internum viſionis ſacrarium. Texturam, craſſitiem, ſitum, connexionem ejus ſedulò inquire. Ex

vasis lympaticis texta, tunicâ innominatâ cooperta, in parte anteriori & mediâ inter utrumque oculi canthum sita, continuo palpebrarum motu polita & expurgata, in totâ sui-ipsiûs periphœriâ cum scleroticâ & adnatâ ità conjuncta ut adsit communicatio inter vasa conjunctivæ & corneæ. Quamdiù vigent istæ membranæ, non patet communicatio; in ophthalmiâ verò totiûs conjunctivæ, sanguis in majoribus ejus vasis coarcervatus, inspissatus, à tergo sempèr versùs corneæ limbum pulsus, affinium corneæ vasorum oscula continuo nisu distendet, lymphatico-vasculosam corneæ penetrabit substantiam, tunicam innominatam sublevabit. Hìc minimis & ultimis sanguini coërcito vasis nullus nisi retrorsùm exitus datur, quem finem citò assequeris sanguinis missione, balneo, si ex plethorâ tantùm originem ducat hæc inflammatio; si ex calore sanguinis, diluentibus; si verò ex sanguinis vitio, lue venereâ, scorbuticâ, curatu difficillimâ, durante causâ durabit & effectus, quodcumque feceris, oleum & operam perdes, omne topicum, inutile; felix nimiùm si è salubribus insalubria, è medicamentis venena non fiant.

I V.

SANGUIS ad circulationem continuam in corpore peragendam natus, diutiùs intrà vasorum parietes immotus impunè coerceri nequit. A tergo semper adveniens sanguis, magis ac magis coacervatur, & eò plus distenduntur vasa. Prætereà requietus sanguis brevì in putredinem vergens, jam ultra modum tensos internos vasorum corrodit parietes, tùm sanguinis & vasorum fit corruptio, & ubicumquè sic stagnaverit sanguis desses, pars in abscessum brevì aut gangrænam, aut deniquè in sphacelum abit. Cui si præcavendo, sanando-ve malo felicitèr, imò necessariò adhibeatur scarificatio, quidnì & oculo iisdem in casibus mederetur? Cùr majori cum cautelâ adhibita, fausto minùs omine celebraretur? De hâc autem operatione, sicùt de cæteris Chirurgiæ operationibus, & Pharmaciæ medicamentis sentiendum esse dijudico. Ea est sortis humanæ conditio, ut ubi quid parùm usitati, quamvìs non sine successu tamèn ab aliis tentati, nosmetipsi aliquoties incassùm experti fuerimus, vituperemus & malimus tanquàm nocivum repudiare inventum quod, alieno nè vertat honori, nostro probro metuimus, quasi probrum non esset, nolle ab aliis discere & doceri quod sine nostrorum concivium detrimento ignorare non possumus. Quotidiano usu & felici testantur Angli vesicam in collo aut in latere incidi im-

punè; à noſtris, quià pluriès tentata infelicitèr hæc operatio, tanquàm noxia ejuratur. *Ad extrahendum è veſicâ calculum diverſa-nè minùs pro re natâ debet uſurpari Chirurgia?* Nihil ſæpè aut parùm ab Agyrtis & extraneis Oculariis tentata proficit ſcarificatio conjunctivæ. Quid indè? Repudiabitur nè? Circumforaneorum Ocularioruin potiùs imperitiam & pravum inſtrumentorum delectum incuſa; noli alienum crimen in beneficam & innocuam operationem vertere. Jàm in balneatorium uno ictu cum pluribus ſcalpellis, & chirurgicum qui fit ſucceſſivè cum unico ſcalpello diſtinximus ſcarificandi modum. Quotiès Chirurgus ex craſſâ cute ſanguinis quantitatem revulſionis vim habentem ſcarificationis beneficio educere voluerit, balneatoriâ utatur, dummodò minutiſſima ſecentur vaſa & ſanguis ex iis educatur; nullus inter ea delectus: quænam ſecentur, nihil intereſt: longè aliter in oculo. Circa hoc verſatur difficultatis cardo. Inter correpta inflammatione vaſa, pro ratione propriæ ſuæ debilitatis, plus minùſ vè varicoſa fiunt; indè efformantur majores vel minores velutì ſacculi (præſertìm *ſeneſcente inflammatione*) qui magìs ac magìs ampliores facti, capillarium corneæ vaſorum oſtia diducunt, inter lamellas ejus viam ſibi ſternunt, & eam caligant, non ſolam: Oculus enìm aliundè ſanus, nùnc tanquàm telâ obvelatus, fruſtrà videre tentat. Quæ modò corpora, nùnc umbræ, homines, nùnc phantaſmata; quæ modò lux, obſcuritas; dies, vertitur in noctem. Hujuſce generis ophthalmiæ per ſcarificationem curandæ causâ, quaſi balneatorium, ex ſecalinis Ariſtis quibus calix ejus ſquammoſus munitur, ſibi effinxerunt inſtrumentum, peniculi vel ſcopulæ inſtar, dilacerandis potiùs aſperitate ſuâ, quàm ſecandis varicoſis conjunctivæ vaſculis aptum. Secalinarum Ariſtarum loco, hordei Ariſtis utebatur Chirurgus quidam Anglus. (*a*) » Quia verò, inquit, fragiles nimiùm » & fractu faciles inter oculi globum & palpebras, ità ut novus » indè exoriatur morbus, tutius aliud inveni ſcarificatorium ex » tritici ariſtis (hordeo rigidioribus) compoſitum «. Aliis equiſetum majus placuit, aliis ficûs folia, os ſepiæ. Alii non meliùs conſulti, radulam quamdam ferream excogitarunt, quibus omnibus inſtrumentis ſimiliter utuntur, quam operationem vocant gallicè *broſſer l'œil.* Talis operatio, talis effectus. Jàm ultrà modum tenſa, & calefacta, irritatur, accenditur conjunctiva, majora minoraque ejus vaſa indiſcriminatìm lacerantur, peccant majora, minora plectuntur, & ſtatus ejus pejor priore. Quid ergò

(*a*) Supplement. à Bened Duddell. Chirurg. Lond.

agendum? Eſt modus in rebus agendi. Periculum minantur majora tantùm quædam vaſa varicoſa, conſilioquè manuquè ſcarificatorium dirige, nequè ſcopulis, peniculis, radulis, tanquàm oculo infeſtiſſimis utere. Sufficit acus chirurgica deprimendæ cataractæ apta ex utrâque parte exacuata. Totidem ſacculi herniarii, totidem ſectiones. Nè quid nimis? Depletis majoribus vaſis, citò evaneſcet per ramificationes, anaſtomoſin, ex capillaribus vaſis incarceratus ſanguis. Qualis erit inflammatio, talis erit & ſcarificatio; nec plùs, nec minùs. Non ſoli conjunctivæ, & indè corneæ, ſed interno etiam oculi globo forſan ſalutaris erit hæc operatio, choroïdi, uveæ, retinæ per communicationem ramificationum carotidis externæ cum arteriâ opticâ, itâ ut non tantùm conjunctivam & corneam immediatè ab ulcere & cicatrice, (quod ſolùm nobis probandum incumbit,) ſed totum etiam oculi globum ab inflammatione, gangrænâ, mediatè vindicabit hæc *ſcarificatio Chirurgica.*

V.

UBI pars aliqua inflammatione corripitur, convenit ſanguinis depletio. Sed, inquies, revulſiva tantùm, non verò derivativa. Ergò nec partis inflammatæ ſcarificatio, quia eò major ſanguinis copia in partem affectam fertur. Quis dubitat à revulſione eſſe ordiendum, in eâ perſeverandum? Sed tandem nullusnè erit revellendi finis? Si revulſionis vim omnem eluſerit malum pervicax; ſi mollitie pulsûs, eucraſiâ totius reliqui corporis, functionum cæterarum omnium integritate conſtet nullam eſſe plethoram in toto corporis habitu præter vitium loci, quid derivationem reformidabis? Revulſionem primò neceſſariam aſſerimus, nedùm illi repugnemus. At incaſsùm celebratâ revulſione, tùnc tutò ac ſecurè, tùnc neceſſariò ad derivationem tanquàm ad ſacram anchoram nec immeritò confugimus. Ea ſola ſalus, eò ſecurior, quòd revulſione præviâ, depleta ſatis vaſa nullum derivationi immediatè ex parte affectâ faciendæ periculi metum relinquunt. Inſtas, ſi non nociva hæc ſcarificatio, ſaltem inutilis, quià nullus ferè ſanguis ex vaſis exiguiſſimis elicitur. Quid, ſi iſte nullus ferè ſanguis, ſolus noceat, ſolus foveat inflammationem? Quid optas ampliùs? At effectus & expertiſſimorum virorum teſtimonia alienam eſſe à vero hanc objectionem pronunciant, quià certum eſt ſcarificationis ut & venæ-ſectionis beneficio æquè craſſum ſanguinem & eamdem quantitatem detrahi. Tange non-

nihil membranam, inquiunt, dolorem excitas, à fortiori quid mali non adveher conjunctivæ ſcarificatio? In eo præſtat noſtra ſcarificatio, quia nulla laceratio, nulla inutilis inciſio. Ergò dicis, non ſcarificatio, ſed punctura? Puncturam apage. Neſcis ſtructuram corneæ tendineam, nerveam, membranoſam reformidare puncturam quamcumque Punctus tendo, ſolâ inciſione curatur. Fiat igitùr inciſio, quæ pluriès repetita variis in conjunctivæ locis, ubì opus eſt, ſtrangulatas ubiquè partes laxet, captivum ac deſidem ſanguinem liberet. Quod ſi eodem quo monuimus modo, iis oculi inflammationibus, quæ nullâ priùs arte curari potuêre, celebrata hæc ſcarificatio proſperum habeat exitum, neceſſariò concludendum venit,

Ergò ſeneſcentibus Oculi inflammationibus, conjunctivæ ſcarificatio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Antonius-Joann-Baptiſta-Maclov. GUENET.

M. Paulus-Gabriel LE-PREUX.

M. Ludovicus-Claudius GUILBERT, *antiquus Regis exercituum Medicus ordinarius.*

M. Edmundus-Claudius BOURRU, *Bibliot. Facultatis Præfect.*

M. Joann.-Antonius ELIE DE LA POTERIE, *antiquus Regis in Portu Brenenſi Medicus.*

M. Joſephus-Jacobus GARDANE, *Cenſor Regius & Regiæ Scientiarum Societatis Monſpelienſis necnon Regiarum Academiarum Nancei & Maſſiliæ Socius.*

M. Stephanus DU-PETIT.

M. Paſchaſius BORIE.

M. Florentius Carolus BELLOT, *utriuſque Pharmaciæ Profeſſor deſignatus, Profeſſor Regius.*

Proponebat Pariſiis JACOBUS-FRANCISCUS DE VILLIERS, Sam Maxenſis apud Pictones, Doctor Medicus Pontimuſſanus, antiquus exercituum Galliæ Regis in Germaniâ Medicus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1772. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis *Quillau*, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1772.